Hispalen. Archidiaconatus.

1. **Eme, & Rme Dne.** DOmini Didacus de Villauincentio, & Franciscus de Ponce Ciues, & Incolæ Ciuitatis Zeres amoribus dediti media nocte diei 19. Iulij 1712. dum versabantur in occultis, & amoris colloquijs cum nobilibus Puellis Iosepha, & Anna de Medina eorum Amasijs moniti fuerunt ab Augustino de Spinola, quem in excubijs data opera indistans posuerant, & retinebant de aduentu D. Hieronymi de Medina præfatarum Puellarum Patrui, quem certò sciebant dicti Amasij egrè ferre huiusmodi accessus, & nocturna colloquia cum eis Neptibus.

2 Habito propterea hoc nuncio de Patrui Puellarum superuenientia, manus ad arma, & paruos Sclopos, quibus stipati erant admouerunt, & in dictum Hieronymum Medina Patruum irruentes duobus Scloporum ictibus aduersùs eum emissis ipsum miserabilitèr interfecerunt. Patrato hoc homicidio dicti Domini Didacus de Villauincentio, & Franciscus de Ponce statim allocuti fuerunt cum dictis Puellis, quibus cum notum fecissent homicidium ab eis commissum in Personam earum Patrui tentarunt dictas Puellas inducere ad fugam cum ipsis arripiendam, vt deposuerunt præfatæ Puellæ in earum examinibus datis *Summ. num. primo ad sextum*.

3 Reperto de mane Cadauere dicti Hieronymi inualuit statim rumor secuti homicidij designatis in Auctoribus DD. de Ponce, & de Villauincentio *Summario num.* 7. 8., *&* 9.: Cumque Regia Curia accessisset ad loci, & Cadaueris recognitionem compertum ex ea fuit dictum Hieronymum in Capite vulneratum quatuor pilis plumbeis, & vlteriùs in muro Domus in ea præcisa parte, in qua occisus iacebat reperta fuerunt quinque alia signa facta ab illis plumbeis pilis, quarum quatuor correspondebant altitudini vnius hominis, aliud verò in loco magis superiori, quemadmodum latiùs exponitur in dicta recognitione Cadaueris, quæ datur *Summ. num.* 10.

4 Post expletam huiusmodi Cadaueris recognitionem prò parte Fisci, captæ fuerunt diligentiæ prò inueniendis, & reperiendis reis huius homicidij, & quia auditis pluribus Testibus certificari non poterat Persona Reorum, ideò satius duxit Gubernator localis cogere ad examen ipsas Neptes occisi in quibus verisimilis erat scientia facti ob circumstantias amoris, & loci, & de facto subiectæ examini, tam istæ, quàm earum Ancillæ, deposuerunt, quod Hieronymus de Medina fuerat interfectus à DD. de Ponce, & de Villauincentio, vt ipsimet Interfectores eisdem patefecerunt *dicto Summ. num.* 1. *ad* 6.

Acce-

5 Accepta hac notitia Fiscus omnem Curam, & diligentiam adhibuit prò captura Reorum, ad quem effectum perquisiuit non solum eorumdem Reorum Domos, sed etiam præuia licentia, & assistentia Iudicis Ecclesiastici perquisitionem fecit in Monasterijs, & Collegijs eiusdem Ciuitatis *Summario num.* 11., & cum in Ciuitate inuenti non fuissent, ad instantiam Gubernatoris Ciuitatis expeditæ fuerunt litteræ circulares ad alias Vrbes, & loca subiecta Regiæ Coronæ *Summario num.* 12.; Cum autèm omnes conatus, lac diligentiæ Fisci in irritum cesserint, hinc præuijs tribus citationibus per ædicta seruatisque solitis terminis ad comparendum illisque elapsis *Summario num.* 13. deuentum fuit per Gubernatorem dictæ Ciuitatis Zeres ad prolationem sententiæ contumacialis, in qua condemnati fuerunt dd. de Villauincentio, & de Ponce in pœnam vltimi suplicij D. verò Augustinus Spinola tamquam minus culpabilis ad Relegationem per octo Annos in Ciuitatæ Ceutæ *Summario num.* 14., quæ quidem sententia confirmata postmodum fuit in supremo Regio Tribunali Granatæ *Summ. num.* 15.

6 Elapsis octo annis à die prolatæ sententiæ contumacialis D. Didacus de Villauincentio, qui ad Vrbem se contulerat, & in ea habitum Clericalem reassumpserat reformidans, ne ob delictum commissum preclusa sibi foret via assequendi Ecclesiasticum Beneficium, supplices preces sub anno 1720. huic Sacræ Congregationi porrexit, in quibus reticendo homicidium à se commissum, nec non sententias capitales contrà ipsum prolatas falsò exposuit, à quibusdam eius Socijs interfectum fuisse dictum Hieronymum de Medina absque vlla sui cooperatione, inflammatione, seù Consilio; Institit prò declaratione se in aliquam irregularitatem non incidisse, vt videre est *Summ. num.* 16.

7 Iste enim supplex Libellus transmissus fuit iuxtà morem, & stylum prò informatione ad Reuerendiss. Archiepiscopum Hispalen.; Verùm quia epistola huius Sacræ Congregationis data opera præsentata non fuit dicto Archiepiscopo, sed eius Vicario Generali de his, quæ secuta erant penitus ignaro, iste in sua beneuola informatione emissis sub silentio tàm Inquisitione, quàm sententijs capitalibus contrà dictum Aduersarium emanatis, simpliciter retulit se ex ore aliquorum Ecclesiasticorum audiuisse dictum Dominum Didacum Aduersarium nullam complicitatem, vel partem habuisse in homicidio prædicto *Summ. num.* 17. huic informationi, & relationi inhærendo Sacra hæc Congregatio sub die 17. Iulij 1720. rescripsit per hæc verba = *Attenta relatione Ordinarij Hispalen. censuit Oratorem non incurrisse in irregularitatem.*

8 In sequelam huius rescripti Dominus Didacus Aduersarius non solum obtinuit litteras Testimoniales de sua integritate ab Archiepisco-

piſcopo Hiſpalen. *Summario num.* 18.; Verùm etiàm cum in proximo mẽnſe Septembris eiuſdem anni ſecuta fuiſſet vacatio Archidiaconatus Eccleſiæ Cathedralis de Zeres de illo ſibi prouideri obtinuit à Santa Sede, & Litteræ Apoſtolicæ Prouiſionis directæ fuerunt Domino Ioanni Antonio de Vizzaron Archidiacono Hiſpalen. Executori in eiſdem litteris dato, qui in defectum oppoſitorum cenſuit prò executione Litterarum Apoſtolicarum: Aſt prò parte Capituli denegata fuit traditio Poſſeſſionis eo ſub fundamento, quod dictus Didacus Aduerſarius fuiſſet irregularis ex cauſa homicidij per ipſum patrati, neque diſpenſationem Apoſtolicam ab ea obtinuiſſet, id circò controuerſiæ huius cognitione delegata ad Archiepiſcopum Hiſpalen.; iſte demandauit dicto Vizzaron Archidiacono Hiſpalen., & Iudici Executori Litterarum Apoſtolicarum, vt ſuper oppoſitis prò parte Capituli diligentem aſſumeret informationem, eamque ſubindè ad Sanctiſſimum remitteret, & quamquam fuiſſet ad Vrbem tranſmiſſam eamdem informationem plenariam, & prò prò exoneratione propriæ conſcientiæ factam teſtetur dictus Reuerendiſſimus Archiepiſcopus in ſua epiſtola directa huic Sacræ Congregationi ſub dicta die 1. Februarij anni præteriti 1725., nihilominùs iſta informatio nunquam inueniri, & reperiri potuit, non obſtantibus pluribus, & reiteratis diligentijs factis prò ea inuenienda tàm in Dataria, quàm in Secretaria huius Sacræ Congregationis, vt teſtare non dedignabitur idem R. P. D. Secretarius, & ideò meritò dici poteſt prædictam informationem fuiſſe ab ipſo Aduerſario ſubtractam, & penès ipſum retentam, vtpotè quia fauorabilis ſit D. Principali.

Intereà dùm hæc agebantur D. Ferdinandus Martinez de Auila Principalis noſter, ad quem hæc omnia delata fuerunt, ſupplicationem Sanctiſſimo porrexit prò obtinenda certo modo prouiſione eiuſdem Archidiaconatus *Summario num.* 19.; Verùm quia dicta ſupplicatio retenta fuerat ab Officialibus Datariæ, ideò inſtitum fuit prò illius relaxatione citato Domino Didaco Aduerſario; ſed eo opponente ſe præſentaſſe alium ſupplicem Libellum prò noua Prouiſione eiuſdem Archidiaconatus, & cum abſolutione ab irregularitate, placuit Eminentiſſimo Datario ſub die 12. Decembris 1724. eiuſdem Aduerſarij nouam hanc petitionem remittere huic Sacræ Congregationi cum præfixione duorum menſium ad obtinendam gratiam nouę Profiiuonis *Summario num.* 20.

Impetrauit D. Principalis ab hac Sacra Congregatione, vt ſcriberetur Reuerendiſſimo Epiſcopo Hiſpalen. prò noua, & magìs præciſa Facti Informatione, hic autèm reſponſum dedit, quod ſententia capitalis contra dictum Aduerſarium erat certa, & in reliquis circumſtantijs, ſe remiſit, & retulit ad Informationem

expletam prò exoneratione conscientiæ, quam consignauerat Archidiacono Vizzaron., vt Romam ad Sanctissimum transmitteret, *Summario Num.21.*; Quapropter reiteratæ fuerunt Literæ huius Sacræ Congregationis ad eundem Reuerendissimum Archiepiscopum prò habenda integra Facti notitia, *Summario Num.22.*, licet autèm literæ responsiuæ ab Archiepiscopo adhùc redditæ non fuerint, nec proindè Sacra hæc Congregatio certior reddi potuerit de veritate homicidij, nihilominus ad instantiam Partis aduersæ, cuius non interest expectare Informationem Reuerendissimi Archiepiscopi festinantèr, & nobis dilationem petentibus in preuenta Congregatione proposita fuerunt gemina Dubia inter Partes concordata, cùmque placuerit huic Supremo Consessui omissa resolutione primi responsum dare super secundo Dubio, rescribendo = *Esse relaxandam supplicationem nouæ Prouisionis ad cautelam* = supplicamus idcircò ad dictam resolutionem contumacialem benignitèr audiri, & ex infià dicendis nostris Votis annuendum confidimus.

11 Censuerunt enìm EE. & RR. PP. ex his, quæ à Parte aduersa deducta fuere dubiam reddi Irregularitatem incursam, & complicitatem, seù cooperationem d. Didaci aduersarij in enarrato homicidio commisso, ideòque meritò responderunt dandam esse nouam Prouisionem ad cauthelam, quod clausulà ista = *ad Cauthelam* = adijcitur tantummodò vbi versamur in dubio, vt appositè notat *Consulens apud Capor discept.120. num.11.* Verumtamèn ex Processu fabricato in Curia Seculari, & de mandato huius Supremi Tribunalis per medium Reuerendissimi Archiepiscopi Hispalen. ad Vrbem transmisso, nec non ex probationibus ex eo resultantibus vìx est, quod ampliùs dubitari possit de complicitate d. Didaci aduersarij in homicidio commisso in personam d. Hieronymi de Medina, & propptereà supposita probatione homicidij, & quià erat premeditati secum ferentis Irregularitatem, vt cauetur *in cap. Suscepimus de homicid.*, *& cap.2. de Cler. Pugnat. ex delict.*, nimìs asperum videtur, vt Beneficium adiudicetur ei, quem Canonicæ Sanctiones vetant, nedùm promoueri ad Ordines, sed etiàm promotus ab illorum exercitio abstineri, vt disponitur *in cap. de cætero, de homicid.*, & statuit Concilium Tridentinum *sess.14. de Reform. cap.7.*, *Valent. de Benef. lib.1. tit.20. num.2.*, in modum vt incapax omninò sit assequendi Beneficia Ecclesiastica etiàm simplicia, quemadmodùm ex mente, & verbis Sac. Concilij Tridentini *in dicta sess.14. de Reform. cap.7.* firmauit nupèr *Rota in Turritana Canonicatus 10. Decembris 1723. in princ., & in eius confirmatoria 9. Iunij 1724. §. Atque hinc inapplicabiles cor. Reuerendiss. Aldrouando*.

12 Quod est, & magìs amplectendum in terminis nostri casus, agitur namque non de simplici Beneficio, sed de dignitate Archidiacona-

na-

natus, quæ dicitur oculus Episcopi, vt expressum fuit in contraria Informatione, *dicto Summario Num.16.*, & quæ sita est in eodem loco, in quo patratum fuit homicidium, & vbi adhùc vigent sententiæ capitales, & notissima diffamatio contrà D. Aduersarium, & vlteriùs agitur de Beneficio, ad quod ipse summa cali-ditate anhelauit, dùm prò extorquenda gratia reticuit in sua prima supplicatione omnes circumstantias suæ inquisitionis, & condemnationis, & procurauit etiàm, quod neque à Vicario Generali in sua relatione exponereutur, quæ omnia sunt plurimum ponderanda, ne oriatur scandalum apud Populum, & ne Vir tam calidus, & opinionis adeò grauatæ ad huiusmodi Beneficij assecutionem admittatur ad monita per idem Concilium Tridentinum *in dicta sess.14.cap.7. de Reformat.*, *& Monac.tom.2.n.321. fol. mihi 66.*

13 Quod autèm D. Aduersarius sit reus predicti homicidij probatum pleuè remanet ex duplici sententia capitali aduersùs eùm ser.ser. pronunciata, *Summario Num.14. & 15.* Hæc enìm habet prò se omnem præsumptionem veritatis, non solùm quià sententia præsumitur sempèr iusta, verùm etiàm quià iustificata remanet ex probationibus in Processu compilatis, nempè ex subita eius latitatione, & fuga, ex eius contumacia in comparendo, quamuìs ter monit., & citat. per publica Edicta, ex publica voce, & fama per totam Vrbem effusa, & demùm ex propria confessione immediatè post actum emissa, vt constat *ex præsenti Summorio Num.1. ad 6. litt.B.* ibi = *Abbiamo ammazzato il loro Zio, già siamo persi, vogliono lor Signore venirsene con noi altri, sopra di ciò li risposero di nò* =, quæ tantummodò sufficeret ad confirmandam eius iustitiam, dùm nulla dici potest maior probatio, quàm propria confessio, & accusatio, vt sunt Iura notissima.

14 Non obstante si dicatur, quod de eius confessione non constet aliundè, quàm per depositiones Neptum, & Ancillarum Occisi: Quippè quià cùm agatur de re patrata in hora minùs incongrua, & de delicto occulto, cuius veritas aliundè haberi non potuisset, deferri debet etiàm Testibus Consanguineis, *Farinacc. de Test. quæst.54. num.66.*, & potissimùm vbi depositio istorum coadiuuata videtur ex latitatione, fuga, & contumacia Inquisiti, & ex publica, voce, & fama, *Farinac. d. quæst.54.n.67.*

15 Concurrit proptercà ad confirmandum EE. PP. in hoc sensu alia circumstantia, quod duo fuerunt contemporanei crepitus Sclopi, & duo fuerunt ictus emissi in Occisum, vndè nimìs apertè indicatur, quod ambo Socij in necem Defuncti simultaneè cooperauerint.

16 Id quod recognouit mirificè ipsemet Iudex; Nàm licet interfuisset in conflictu etiàm Augustinus de Spinola, nihilominus, quià ipse non dedit operam facto, fuit propterea condemnatus ad sim-

simplicem præsidiariam relegationem, ad differentiam aliorum duorum, qui tanquàm percussores fuerunt diuersa, & magis graui pœna mulctati, *d.Summ.Num.*14. & 15.

17 Atque hinc ad exonerandum D. Didacum aduersarium frustrà aduertitur, quod licèt ictus fuerint duo, attamèn non possit ipse de aliquo ex ijs accusari, attento quod fuerunt reciproci, vt nùnc deposuit Scriba Actuarius, & alter ex ijs emissus fuerit ab ipso Occiso, alter verò ab vno ex eius Socijs: Quantum enim sit insubsistens huiusmodi discursus, euidentèr constat ex iudiciali recognitione Cadaueris, & loci, vbi foramina pilarum plumbarum remanserunt impressa. Repertum namque fuit Cadauer humi distensum absque Sclopo, vel Armis igneis, sed cum solo Ense, vt patet ex dicta recognitione, *Summario Num.*10.; Itidèm recognita fuerunt foramina pilarum in sola, & vnica pariete Domus Blasij Lopez, nec alibi apparuit aliquod vestigium illarum impressionis, *dicto Summario Num.*10. Vndè nimìs absonum est asserere, quod ictus fuerunt reciproci, quando impressiones sunt in vna, eademque pariete, & in vno, eodemque loco, vt apparuit in recognitione tùnc solemnitèr expleta.

18 Multòque minùs asseri potest, quod alter ex dictis ictibus emissus fuerit ab ipso occiso, & alter à Socio dicti Didaci, quia pænès cadauer non fuerunt reperta arma ignea *d. Summ. num.*10. *litt.A.*, taliter vt impossibile sit, quod occisus exploserit arma, quæ non habebat, quatenùs etiam hæc reperta fuissent, nullo tamen colore posset in eum transferri factum explosionis, nisi vel ex probationibus, vel ex indijs hoc constitisset.

19 Sed dato etiam in omnem pessimum casum, quod nonnisi ictus fuerit emissus in occisum; Quis reuelauit, quod Percussor non fuerit ipse D. Aduersarius, & qua maiori ratione poterit culpa ab eo exonerari, & transferri in alterum ex Socijs? Delictum namque fuit occultum, & quousque certificata non sit Persona Percussoris per euidentes, & clarissimas probationes omnes Socij præsumuntur complices, & omnes in dubio habendi sunt pro Irregularibus, vt monitum est in *cap. ad audientiam cap. significasti cap. penult. de homicid.*, *Gloss. in cap. præsentium in Verbo Proiuit de Cleric. Percuss. cap. si quatuor* 24. *quæst.*8. *vbi Gloss. in Verb. Quicumque Del. Ben. de Immunit. cap.*2. *sect.*8. *num.*27., & 30. *fol. mihi* 90. *Bonaccin. de Irregular. disput.*7. *quæstion.*4. *punct.*8. *num.*29.

20 Nec quidquam facit ad excludendam præsumptionem delicti à D. Aduersario propria declaratio iurata, & depositio Notarij Actuarij nuper procurata, & ab eodem exhibita: Quia quantum valeat iuramentum emissum ad propriam exonerationem, & in causa propria remittitur iudicio Eminentissimorum PP.: Depositio verò Notarij Actuarij non excludit ab eo culpam, quia ipse

ipse asserit ignorare, quinam ex tribus Reis ictum exploserit, vt videre est in eius depositione.

21 Similiterque nihil faciunt continuatæ Visitationes eius Cappellaniæ factæ per Ordinarium, & declaratio eius innocentiæ emissa à D. Ludouico Francisco de Medina Fratre defuncti. Ex continuatis enim visitationibus antiquæ Cappellaniæ nullum deduci potest argumentum eius integritatis ad effectum de quo agitur, quia cum priuatio Beneficiorum obtentorum antè homicidium non incurratur, nisi vltra factum superueniat etiam sententia declaratoria Irregularitatis *Gonzal. super reg.8. gloss.15. n.124. Bich. decis.395. num.4. & 5., & decis.408. num.6.* hinc Ordinarius continuando eorum visitationes nullum præstat iudicium pro exclusione posterioris delicti. Declaratio autem facta à Fratre defuncti non est apta ad constituendum Aduersarium in statu innocentiæ, quia vltra quod ignotum remanet, vnde potuerit habere huiusmodi certam notitiam, sufficit aduertere, quod esse non potest in illius facultate Reum absoluere, & potissimum vbi in oppositum stant aliæ attestationes numero plures, & Processus Criminalis, ex quibus probatio delicti resultat, taliter vt nullam vim facere valeat ad excludendam eius noxam aliundè probatam.

22 Tandèm non est cur D. Aduersarius figere possit pedes in declaratione obtenta ab hac Sac. Congregatione sub die 20. Iulij 1720., & in litteris testimonialibus Archiepiscopi super eius bonis moribus. Quippè quià declaratio Sacræ Congregationis fuit vitiosè, & subreptitiè obtenta. Concurrerunt namque ad eam subreptitiè extorquendam, nedum suplex libellus ab Aduersario porrectus, sed etiam artificiosa informatio procurata à Vicario Generali Viro recenti, & forensi, & penitus ignare de gestis in antecedenti decennio, in quibus reticitus fuit summo studio processus publicæ Inquisitionis cæterique actus, & documenta ibidem compillata notoria diffamatio, & sententiæ capitales contra Supplicantem emanatæ. Quæ omnia erant necessariò exprimenda, dum in supplicationibus exponi debet, quidquid verisimiliter influit ad difficiliorem gratiæ concessionem.

23 Eodemque vitio laborant litteræ Testimoniales Archiepiscopi; Nam vltra quod causam ijs dedit declaratio exclusiua Irregularitatis præcedenter extorta à Sac. Congregatione, & concessæ fuerunt ab eodem Vicario, qui erat omnium ignarus, hoc illud accedit aduertendum, quod dd. litteræ reddere possunt testimonium de bona fama D. Aduersarij vsque ad annum 1711. de quo tempore Vicarius asserunt eum a Ciuitate discessisse, vt videre est *d. Summ. num.* 18.; Vnde vel nullam facere valent fidem pro vlteriori anno 1712. quo commissum fuit delictum, vel sicuti errauit dictus Vicarius in designando tempore discessus, ita

etiam

etiam decipi potuit in credulitate bonæ famæ, quam de Aduersario reddidit atque hoc manifestè hodiè nobis constat, quia ipsemet Vicarius Alphonsus Mendoza, qui postea assumptus fuit ad Decanatum eiusdem Ecclesiæ Cathedralis, ipsemet, inquam factus conscius de notorietate criminis inter primos repugnauit tradere Aduersario possessionem Archidiaconatus *Summ.nu.23.*; Vnde quisque videt, quod si priùs informauerit fauore D. Aduersarij, id processit, vel quia erat ignarus, vel quia fuerit deceptus.

24 Vrget propterea quod contra assertum Testimonium eius integritatis de diametro aduersatur publica Inquisitio, & sententiæ Capitales in D. Aduersarium promulgatæ. Quousque enim istæ non sint totaliter euacuatæ, & suppositus Reus suam innocentiam non ostenderit cum sententijs absolutorijs, & quidem ex capite innocentiæ, probatio criminis semper manet firma, & spreto quolibet Testimonio super bona fama contrarijs probationibus standum venit *Rota decis.653. num.15. & decis.669. numer.13. coram Bich., & in Sabinen. Concursus 6. Aprilis 1609. coram Sacrato num.4. impress. penès Marches. de Commiss. fol.mihi 291. tom.1.*

25 Nec impugnari potest vis nostrarum sententiarum sub obtentu, quod latæ fuerint à Tribunali Laico contra Clericum: Quoniam cum nulla data fuerit oppositio Clericatus in confectione Processus, nec ab ipso Inquisito, nec ab eius Consanguineis, nec à Curia Ecclesiastica; meritò proindè acta licet gesta in Tribunali laico quid quid sit an sufficiant pro validitate condemnationis, sufficiunt tamen pro habenda Facti probatione etiam contra Clericum, vt notauit *Pignatell. consult.128. num.14 & 15. tom.1.* & alij pænès eundem allegati; Et potissimum quia Archiepiscopus non solum dictum Processum non impugnauit, sed viceuersa pro referenda informatione, quam postulabat Sacra Congregatio requisiuit à Tribunali laico per medium sui Fiscalis attestationem de omnibus, quæ in dicto Processu continebantur *Summ. num.24.*, & vlterius ipsemet Vicarius Ecclesiasticus præstitit assistentiam Tribunali laico in perquisitione Aduersarij facta per Monasteria, & Loca Ecclesiastica *dicto Summ. num.24. litt. A.*; Vnde cum eadem acta fuerint etiam ex facto Ecclesiastici Tribunalis omninò approbata, pænitùs ignoratur quo Iure valeant hodiè redargui de insubsistentia.

26 Sed cessat quælibet difficultas, dum probata remanet ex Testibus *in Summario Num.25.*, quod Dominus Aduersarius de tempore quo patrauit homicidium incedebat indutus habitu militari, & sic Forum Laicale non poterat effugere, dum Clericus, qui non incedit in habitu, & Tonsura gaudere non potest priuilegio Fori Ecclesiastici, vt præscripsit *Concilium Tridentinum sess.21 cap.6.*

cap.6., & notat *Card.de Luc. ad d.Concil.disc.24.n.9.*

27 Absque eo quod dictis Testibus aduersentur litteræ Testimoniales Vicarij Generalis ex quibus habetur, quod ipse semper incesserit in habitu Clericali: Quia Vicarius Generalis de hoc attestatur vsque ad annum 1711. quo Aduersarius permansisse dicit in Ciuitate Zerez; Vndè eius Testimonium non obstat nostris Testibus, qui deponunt de contrario incessu in diuerso tempore, nempè in anno 1712., quo commissum fuit delictum; Et de facto si res aliter esset; Curia Ecclesiastica non permisisset, quod Seculare Tribunal compilasset Processum, multoque minus adiutorium prebuisset pro captura Inquisiti in Locis Ecclesiasticis, sed viceuersa quoscumque publicos actus à Iudice Laico commissos, tamquam tendentes ad subtractionem propriæ Iurisdictionis improbasset, vt consideranti illicò patet.

28 Constat itaque ex omnibus hucusque deductis, quod Dominus Aduersarius fuit verè reus sepedicti homicidij; ast ad exuberantiam quatenùs etiam immunis esset à quacumque culpa, talis tamen non est in hominum conspectu, quod tantummodò sufficeret ad constituendum eum in statu Irregularitatis; Hæc enim contrahitur etiam ex simplici diffamatione, & propterea si Dominus Aduersarius fuit coram Populo de hoc delicto diffamatus ex hoc solo capite habendus est pro Irregulari, & venit repellendus à consecutione præsentis Archidiaconatus per *Text. in cap. Infames 6. quæst. prima, & in regul.* 88. *de regul. Iur. in 6., Garz. de Benefic. part. 7. cap. 8. num. primo, & per tot., Bonacin. de Irregul. disput. 7. quæst. 3. punct. primo num. 5. versic. Idem à fortiori.*

29 De hac verò diffamatione cadere non potest controuersia, nam si hæc contrahitur per simplicem denunciationem Clerici ad aliquod Tribunal cantantis *Daniel dist.* 81. *cap. Omnipotens vbi Gloss. in verb. Denunciatur*, & alij relati per *Lambertin. de re benefic. lib. 2. quæst. 31. n. 145., Bich. dec. 669. n. 11.*

30 Quid dicendum vbi in nostra Hippothesi non solum constat de denunciatione Domini Aduersarij ad Tribunal Regium, sed de eius publica Inquisitione de diligentijs commissis pro captura, de epistolis circularibus pro eo reperiendo expeditis, de notorijs accessibus, & perquisitionibus factis ad eius Domum, & per Ciuitatem, ac in Locis etiam Ecclesiasticis, de publicis, & triplicatis Ædictis, cum quibus fuit citatus ad comparendum, de propria Confessione coram tot Testibus emissa, de communi opinione, quæ contra ipsum vigebat in loco, & demum de geminis Sententijs Capitalibus, vbique notissimis. Ex his enim omnibus excreuit ad summum notorietatis huius viri diffamatio, & manifestè patet, quod eius opinio remanserit apud omnes publicè grauata.

31 Qui-

31 Quibus positis non est cur afferri possit in medium resolutio huius Sacræ Congregationis relata à *Fagnan. in cap. Vestra num.* 139. *de Accusat.* Nam licet Sacra Congregatio tunc fuerit in sensu, quod ex Sententia lata in Tribunali Laico Sacerdos non posset dici diffamatus, id tamen procedere potuit, vel quia Sacerdos ibi iam detectus fuerat manifestè innocens, vel quia actus gesti à Laico fuerint impugnati à Curia Ecclesiastica, & non approbati prout hic tacitè, & expressè, vt firmauimus in superiori §. *Nec impugnari, & seqq.* vel demùm quia non concurrerent tot circumstantiæ, quot conspirarunt in casu ad reddendam valde læsam famam Domini Aduersarij, quæ præcisiuè etiam à qualibet Sententia sufficientes sunt pro eius notoria diffamatione, cum infamia incurratur etiam vel ex praua opinione, quæ habetur de aliquo, vel ex confessione proprij delicti, vel ex notorietate facti *Garz. de Benefic. par.*7. *cap.*8. *n.*18., *Bonacin. de Irregularit. disput.*7. *quæst.*3. *punct.primo per tot.*

32 Proùt etiam non iuuat confugere ad Testes nuper à Parte productos deponentes quod diffamatio Domini Aduersarij orta fuerit ab actibus publicè expletis per Curiam Secularem,& quod dictus Didacus non fuerit, reuera reputatus complex sepedicti homicidij: Isti enim Testes fuerunt examinati ad instantiam Partis pendente hac lite absque vllo mandato huius Sacræ Congregationis, & proinde fidem non merentur, vlterius quàmuis contendant exonerare illum ab asserto delicto, tamen potius eidem aduersarentur, quia confitentur publicam vocem, & famam contra Dominum Didacum euulgatam, nec vllam causam scientiæ allegare possunt, propterquam illum existimauerint innoxium; taliter vt cum eorum dictum nullum aliud habeat fundamentum [illegible] propriæ beneuolentiæ veniat reijciendum.

33 Tandem non obstat si dicatur, quod huiusmodi oppositiones dari non valeant à Domino Psincipali attento quod non habeat gratiam signatam à Sanctissimo, nec vllum ius in controuerso Archidiaconatu; Quia cum dictus Principalis porrexerit supplicationem in Dataria pro illo impetrando ob Irregularitatem Domini Aduersarij *Summario Num.* 19. attenta hac oppositione acquisiuit statim ius ad dictum beneficium in casu quo dicta asserta Irregularitate constabit, id, quod optimè præmouit Eminentissimus Datarius, qui controuersiam hanc inter Partes subortà post plurima contradictoria ad Sac. Congregationem remisit, ita confirmando existentiam iuris meo Principali competentis.

34 Concludimus igitur, quod Irregularitas Domini Aduersarij est certa, & manifesta, in quo casu nunquam à Sacro hoc Tribunali concedi solet dispensatio, vt latè probarunt DD. mei in Iure Scribentes, & insuper addimus, quod si superiora documenta

menta nobis superuenissent in tempore vltimæ propositionis, non distulissemus, quamuis in angustia temporis venire ad iudicium EE. PP. absque ope expectandi Informationem Reuerendissimi Archiepiscopi, sub cuius spe dilationem petiuimus, neque vllatenus attendendum est id, quod Pars nimis animosè asseruit quod nempè dicta Informatio aduenerit, et quod à nobis occultetur; nam vltra quod contrarium patet ex vltma Epistola dicti Reuerendissimi Archiepiscopi *Summario Num. 26.* ad dignoscendam insubsistentiam contrariæ assertionis dignarè poterunt EE. PP. pro reperienda veritate litteras mittere dicto Reuerendissimo Archiepiscopo, an verè ipse dictam informationem transmiserit, atque ità manifestabitur quænam ex Partibus laboret in suppositis, & sic æquiuoca contexat.

Quare &c.

Dominicus Vestilius.

SACRA CONGREGATIONE
CONCILII
Rmo P. D.

LAMBERTINO
SECRETARIO

Hispalen. Archidiaconatus.

P R O
R.D.Ferdinando Martinez de Auila.
C O N T R A
R.D.Didacum de Villauincentio.

Facti

Typis Zinghi, & Monaldi 1726.